# PRÆFAMEN.

*Quam admirandæ ac prodigioſæ ſint ſpeculares apparentiæ, ii demum experiuntur qui interiora Catoptrices perluſtrant. Licet enim in limine ſtatim hujus ſcientiæ phasmata occurrant non adeo miranda primo adſpectu; ita tamen natura propemodum omnes comparati ſumus, ut ea, quæ nobis ſemper obvia, quæq; quotidie videmus, maxime licet ſæpius miranda atque ſtupenda, minime miremur, ea vero quæ non tam communia, quamvis ejuſdem ſint naturæ, maximopere ſtupeamus. Quotusquisq; enim eſt noſtrûm, qui, cum toties ſpeculum inſpiciat, vel ſemel animadvertat, videre ſe faciem ſuam poſt ſpeculum æque diſtantem a ſpeculo, ac illa quidem ab eodem ante abeſt; aut ſi animadvertit forſan, nihil tamen illud aut parum curat, & ne quidem ſollicitus eſt indagare, quis & qualis ſit ille locus, in quo faciem*